

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



XIII.

an 13.

THESES PHYSICÆ
DE
SENSIBVS EXTERIO-
RIBVS

QVÆ

D. O. M. A.

SVB DECANATV

SPECTABILIS CLARISSIMIQUE VIRI,
Dn. SIMONIS PETISCI, MEDICINÆ
& Philosophiæ Doctoris, ac Mathema-
tum Professoris ordinarii;

ET

PRÆSIDIO

Humanissimi ac Doctissimi viri,

Dn. M. BARTHOLOMÆI SCHRÖTERI, COS-
WIGII ANHALTINI, PHILO-MATHEM.

*In Celeberrimâ & Antiquissimâ Haidelbergensium A-
cademiâ, Ingenii exercendi gratiâ,*

Philosophiæ Studiosis examinandas publicè proponit,
& pro virili defendere conabitur,

JOANNES CRAMERUS SERVESTANUS,
ANHALTINUS.

Ad diem XX. Mensis Julii

Horis matutinis consuetis, in publico Philosophorum
Brabenterio.

Aristotel. de Mundo cap. 1. in princ:

Πολλάκις μὲν ἔμοιγε θεῖόν ἢ ἔλαιμόνιον ὄντως ζῆμα ἢ
φιλοσοφία ἔδοξεν εἶναι.

HAIDELBERGÆ,

TYPIS VOEGELINIANIS.

ANNO

MiseriCordiæ & patientiæ.



MAGNIFICIS,
REVERENDIS, CLARISSIMIS,
SPECTATISSIMIS, PRÆSTANTI

ERUDITIONE, RERUMQ. USU,
& experientiâ excellentissi-
mis viris,

DN. LUDOVICO GRAVIO, MEDICINÆ DOCTORI, NEC NON IN INCLYTA Serenissimi Principis, & Electoris Palatini Academia Heidelbergensi Professore celeberrimo, ac ibidem pro tempore Rectori Magnifico.

DN. DAVIDI PAREO SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, ac Professore fidelissimo.

DN. DANIELI NEBELIO, J. U. D. Professore præstantissimo, & pro tempore Facultatis Juridicæ Decano Spectabili.

DN. SIMONI PETISCO, MEDICINÆ DOCTORI, Mathematicum Professore, & Collegij Philosophici pro tempore Decano dignissimo.

DN. M. SIMONI STENIO, ELOQUENTIÆ ET Historiarum Professore præstantissimo ac meritissimo.

Dominis Præceptoribus, Mæcenatibus, Patronis, ac studiorum suorum Fautoribus, atque Promotoribus reverenter colendis, & honorandis:

Hanc disputationem suam de quinq; sensib. exterioribus.

In debita observantia, ac obsequenti animi significationem, & argumentum;

Humiliter

D. D. D.

Ioannes Cramerus Servestanus Anhaltinus,
Author & Respondens.

DE
SENSIBUS EXTERIORIBUS

THESIS I.

NOBILISSIMARVM Disputationum Physicarum minimam non esse, quæ est de SENSIBUS EXTERIORIBUS, sed omnium ferè optimam, ac præclarissimam, nec non cognitione jucundissimam, immò scitu dignissimam, & valde necessariam, unumquemq; qui modò quinq; illis sensibus est præditus, omninò statuere, & constanter affirmare oportet.

II.

Cùm autem maximè de rebus utilibus, vitæq; humane necessariis instituenda sint *συνήθη*, nos opera pretium facturos esse putavimus, si totam Sensuum Exteriorum doctrinam; quorum vis seu facultas ad ipsum esse animalis tam necessaria est, ut nullum Animal, teste Aristotele, dici possit, quod non sit SENSU præditum, & de quibus magna inter PHILOSOPHOS oritur Disceptatio; in certas quasdam Disputationis Theses breviter & perspicuè retulerimus, easq; Physiologia Studiosis, ac reliquorum publicè certantium judiciis examinandas proposuerimus, ut doctrina illa eò magis innotescat, & Veritas quoq; diversarum opinionum latebris eruta, indies appareat illustrior.

III.

Sed ne fortè hæc nostra Disputatio imperfecta sit, & obscura, vel planè ἀπερόδητα videatur, Facultatem Animæ Sentientem (siquidem sensus omnes ab illà originem suam ita ducunt, ac dimanant, ut sine eà Sensatio fieri non possit, neq; Sensus ipsi proponi, multò minus rectè explicari queant) Definitam, & Divisam præmittemus.

A 2

Facultas

Lib. 2. de
Part. Ani-
mal. cap.
8. Et:
Lib. 2. de
Anim.
cap. 2. tex.
16. Item:
Lib. 3. A-
nim. cap.
12. tex. 60.
Et:
Lib. de
Sens. &
Sensil. cap.
1.

IV.

Facultas igitur Sentiens est ἐντελεχείας πρώτης affectio, proprietas, seu potentia, aut vis, quæ omnia extra corpus animantium posita, accommodato corporis organo apprehendit, ac percipit, in spiritibus animalibus residens, & ex cerebro ad unumquodq; sensus organum per nervos, tanquam canales transiens.

V.

Et quia vocabulum Sensus multis usurpari solet modis, sciendum est, nos illud hoc loco accipere pro ACTU ipso SECUNDO, sive ἐνεργεία, & operatione potentia Sensitiva, quo motu species objectorum sensibilium percipiuntur.

VI.

Sic ἐντελεχεία, hoc est, Actus, & Perfectio, hoc loco nihil est aliud, quam ipsa ἐνεργεία, quæ vox Grammaticis derivatur vel ab ἐν, id est, In, quia inest in aliquo, & τέλος, id est, Finis & perfectio, & ἔχειν id est, Habere: vel ab ἐντελής, quod est perfectum, & τέλος id est finis, & ἔχειν, id est, Habere, quasi dicas, perfectè habere.

VII.

Quod ad Facultatem Sensitivam attinet, dicimus illius duo esse prima subordinata instrumenta, vim scilicet Apprehensivam, & vim Motivam.

VIII.

Apprehensivam vim nominamus, quâ presentia & absentia objecta percipimus; & hæc continet sensus tam Exteriores, quam Interiores. Presentes enim res Sensibus Externis, Absentes autem Internis apprehendimus.

IX.

Vim Motivam vocamus, quæ motus animales, tum Externos, tum Internos in corpore ciet. Sed missò hoc Posteriore instrumento, de Priore, nempe Vi Apprehensivâ ejusq; præsertim

Arist. lib.
3. de Ani.
cap. 9.

praesertim *Quinque SENSIBUS EXTERIORIBUS*
praesens nostra erit *Disputatio.*

X.

Sensus ergo sive Sensationes Exteriores sunt operati-
ones Facultatis Sensitivæ (Anima) comprehendentes &
percipientes objecta sensilia externa. Horum quinque recenset
Aristoteles, Visum, Auditum, Olfactum, Gustum,
Tactum.

Lib. 3. de
Ani. cap.
1. tex. 128.

XI.

Hi omnes pro varietate Objectorum secundum natu-
ram Elementorum dividi possunt in Sensus Subtiles, seu No-
biliores: Medios: & Crassos, seu Ignobiles.

XII.

Subtiles seu Nobiliores sunt VISUS & AUDITUS,
quorum ille Igneus, hic verò Aëreus dicitur. GUSTUS &
TACTUS Crassi sunt seu Ignobiles, ille Aqueus, hic Ter-
reus. ODORATUS est Medius, & nulli SOLI sa-
nè tribui Elemento, sed substantiæ mediæ halitui relinqui
potest.

Arist. Pro-
blem. ult.
Sect. 31.

XIII.

Pro singulorum autem accuratiore cognitione ad ver-
rendum est potissimum ad duo: I. Ad Generalia. II. Ad
Specialia.

XIV.

GENERALIA sunt illa REQUISITA, quæ ad
omnes sensus in Genere pertinent, suntque numero tria: I. OB-
JECTUM. II. ORGANUM. III. MEDIUM.
De his notandi sunt sequentes Canones.

I. *Sensuum Objecta, quæ, tanquam Causa, sensus mo-*
vent, sunt vel κατὰ αὐτὴν, vel κατὰ ὑποβιβνῆς. Illa, quæ per
se nullo alio interveniente percipiuntur, sunt vel pluribus
sensibus Communia, vel uniuscujusque Propria. COMMU-
NIA sunt Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, Situs;
quia non uno aliquo tantum sensu, sed pluribus simul perci-

Arist. lib.
2. de Ani.
cap. 6. tex.
63.
Arist. ibid.
tex. 64. &
Lib. de
Sens. &
sensi. c. 1.

A 3

pi pos-

Arist. lib. 2. de Ani. cap. 6. tex. 63. pi possunt. PROPRIA verò sunt, quæ à nullo alio sensu, nisi ab eo, cujus objecta sunt propria, percipiuntur, ut; Color, Sonus, Odor, Sapor, & Qualitates Tactiles, de quibus in singulis Sensibus Speciatim deinceps agendum est. Hæc, καὶ συμπληρώσις scilicet, sunt, quæ non quidem per se, sed mediante alio percipi solent; ut, imago rei refulgens ex speculo, vel re aliquâ levigatâ, ut luminarium ex aquâ. Item Echo facta ex repercussione soni.

2. Si Sensatio fieri debeat, oportet Objecti situm semper esse convenientem, ut scilicet objectum secundum lineam rectam in pupillam incurrere, atque ita figuram pyramidis efficere queat.

3. Organorum, quæ sunt partes corporis, quibus nimirum Sentiens facultas percipit sensilia oblata, semper sana, & integra sit dispositio, necesse est. Organa enim si corrumpuntur & læduntur, etiam actiones ipsæ sentiendi, propter ruinosum domicilium planè turbantur. Horum aliud est Commune, aliud Proprium. Commune αἰσθητικόν est Cerebrum, quod facultatis Sensitivæ est arx propria, & quasi domicilium à DEO Creatore optimo ita compositum. Proprium verò est, quo singuli sensus ad sensationem recipiendam peculiariter uti solent. Sic Visus utitur oculo, tanquam proprio instrumento; Auditus aure, Olfactus Naso, Gustus linguâ, Tactus cute nervosâ.

4. Organa Recipientia à naturâ Recepti debent esse nuda. Quod enim juxta apparet, alienum prohibet.

5. Inter sensûs instrumentum sive Organum, & Sensibile, semper justa proportio, & justa requiritur distantia: seu minus, valde sensus aberrabit.

6. Medium, per quod sensilia in sensus Exteriores perferantur, debet se naturaliter habere, nec alienâ qualitate aut dispositione, aut proportione immutari.

7. Vt sensio fieri possit, semper moderata mora est adhibenda.

hibenda. Quicquid enim subito in sensus incurrit, & momento evanescit, non usque adeo sensus movere potest.

8. Ne sensus deniq; hallucinentur, animus in rebus alienis nunquam occupatus, sed rebus percipiendis sit intentus, oportet. Sin minus, apertis etiam oculis planè nihil ceruimus, atq; ita

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

XV.

SPECIALIA quod attinet, explicantur illa hisse quatuor, videlicet Definitione, Objecto, Organo ac Medio propriis, de quibus etiam ordine, & breviter, quantum fieri potest, jam in Specie agetur.

I.

DE VISU.

XVI.

VISUS est Sensus Exterior, qui oculis percipit lucem & colores, tanquam Propria Objecta; & magnitudines, figuras, numerum, motum, & situm corporum, tanquam Communia objecta.

XVII.

Propria igitur VISUS OBJECTA sunt *degrati* vel in Ar. lib. 2. de ani. cap. 7. tex. 72. Lumine, ut sunt soli colores uniuscujusq; rei proprii: vel in Tenebris. Hæc sunt vel manifestè Nominata, quorum scilicet certum nomen & notitia obtineri potest, & quæ radiandi in se vim habent, suntq; aut lux ipsa, aut lucentia corpora: vel Innominata, quorum certum nomen & notitia, cur nimirum luceant, haberi nequit, & quæ nocturno tantum tempore nobis propter aliquid luci simile objiciuntur, interdiu autem propter lumen majus omninò obscurantur.

147

zur, ut sunt oculi catorum & leonum, ligna putrida, cicin-
dela, carbunculus. &c.

XVIII.

Arist. lib.
2. de Sens.
& Sensil.
cap. 3.
Ibid.

Color est ipsa perspicui in corpore definito extremitas,
sed non est extremitas corporis. Oportet enim, secundum Ari-
stotelem, eandem naturam existimare, quae exterius coloratur,
& interius. Vnde Pythagorici dicebant, Colorem esse $\Phi\alpha\upsilon\delta\alpha\upsilon$, id est, Apparitionem in superficie, quia ipse facit, ut
rei superficies sit aspectabilis, atque ita per superficiem ipsum
corpus. Nullus igitur alius videri potest color, nisi ille, qui
in superficie est, immò ipse solus est ac dicitur actu Color.

Zabarell.
lib. 1. de
Visu c. 2.

XIX.

Lib. 2. de
sens. & sen
sil. cap. 3.

Genera colorum cum Aristotele facimus septem, quo-
rum duo Extrema: reliqua verò quinq; sunt Intermedia.

XX.

Arist. Ibid.

Colores Extremos nominamus Album & Nigrum.
Intermedios verò Flavum, Viridem, Rubrum, Purpureum,
Coeruleum.

XXI.

Zabarell.
lib. 1. de
Visu. c. 4.

Lux est qualitas corporis lucidi, quatenus scilicet in
ipso manet, & fixa est corpori lucido, quae producit, & spar-
git lumen ad alia corpora, ut in Sole, & reliquis corporibus
caelestibus. Itemq; in Igne lux est, quatenus de se emittens
lumen, ostendit & se, & alia corpora.

XXII.

Arist. lib.
2. de An. c.
7. tex. 69.

Zabarell.
lib. 1. de
Visu. c. 4.

Lumen verò est actus perspicui, secundum quod est
perspicuum: Hoc est, Lumen est id, quod à luce producit
in corpore quodam perspicuo, ut sunt Aër & Aqua. Estq; lu-
men veluti imago & species lucis. Sic in Sole & reliquis
astris, corporibusq; lucidis non quidem lumen est, sed lux
ipsa: in Aëre autem & Aquà non lux, sed lumen. Diffe-
runt igitur lux & lumen, ut Causa & Effectus. Quod au-
tem lumini est contrarium, id appellant Tenebras, quae
sunt Privatio luminis à perspicuo.

Ar. lib. 2. de
Ani. cap. 7.
tex. 70.

ORGA-

XXIII.

ORGANUM seu instrumentum hujus Sensus omnium prestantissimi sunt bini oculi, mirabili quâdam structura, atq; artificio à Deo Opt. Max. omnium rerum Opifice Sapientissimo conformati, inq; supremâ corporis parte, unde totius corporis salutis præesse, ac prospicere melius possent, collocati, qui constant Humoribus, Tunicis, & Spiritibus.

Zab. l. i. de
Visuc. l.

XXIV.

Humores tres sunt. I. Crystallinus, quem Aristoteles $\kappa\rho\upsilon\sigma\tau\alpha\lambda\lambda\iota\mu\omicron\varsigma$, Latini PUPILLAM vocant, in quo, tanquam in speculo, & vero Visus instrumento, quod suâ naturâ perspicuum est, & à nervis Opticis spiritum recipit, refulgent rerum imagines, siue species colorata, & cui totus videndi actus ascribitur. II. Vitreus, qui mollior est, & substantiam habet minus consistentem, multoq; copiosior Crystallino, cui ipse omninò subjacet. III. Albugineus seu Aqueus, qui Crystallinum undiq; cingit ac defendit, eumq; à tactu Corneæ, quæ suâ duritie ipsum ledere posset, prohibet.

Zab. li. i. de
Visuc. 8.
Arist. lib. de
Sens. & Sen
fil. ca. 2.

XXV.

Tunicæ sunt quinque. I. Aranea, quæ humorem Crystallinum obtegit. II. Retinea, quæ à nervo Optico ad Araneam usq; tam Crystallinum, quàm Vitrinum ambit. III. Vinea, quæ ab interiore oculi parte ad Araneam usq; totum ambit oculum. IV. Cornea, quæ totum cingit oculum, & versus objectum omninò est perspicua. V. Adnata, seu oculi Album, quod propter colorem ita appellatur.

XXVI.

Spiritus sunt, qui per primum par nervorum à cerebro deferuntur, quæ $\sigma\upsilon\lambda\upsilon\gamma\iota\alpha$ vitam & sensum impertit oculis, ac veluti flammula naturam referens lucis cælestis, species ad sensorium commune transvehendo, vim ipsdem videndi attribuit.

B

MEDI-

XXVII.

MEDIUM, per quod color, seu Objectum visibile ad visum defertur, est omne inter objectum & oculum corpus actu perspicuum, & ut lumen intima posset penetrare, radiis pervium, quod, teste Aristotele, quidem est visibile, non autem secundum se visibile, sed propter externum colorem, ut est Aër & Aqua; & multa solidorum, qualia sunt vitrum, tenue cornu, crystallus, & id genus alia, quae licet ἐπερυεῖα lucida non sint: ἄνωγμῶν tamen lumen recipere, & ab eodem illustrari possunt; atq; ita non suo quidem proprio, sed alieno lumine sensum oculorum movere dicuntur.

Zab. li. 1. de Visu. ca. 3. Lib. 2. de a. c. 7. tex. 68.

Arist. Ibid.

XXVIII.

Medium hoc Graeci vocant ἄφαιές. Et tantum de Visu, Sensu omnium excellentissimo, acutissimo, & menti etiam quàm simillimo; sequitur nunc de altero sensu Subtili, seu Nobili, scilicet **AUDITU**.

Arist. Ibid. Zabar. lib. 1. de Visu cap. 1.

II.

DE AUDITU.

XXIX.

AUDITUS est Sensus Externus, qui per Aërem & Aquam audibiles qualitates auribus percipit.

XXX.

Eius **OBJECTUM** est Sonus, quem Graeci ἀκρόν vocant, & qui est Qualitas Audibilis ex Aëris fractione orta, quae fit collisis duobus solidis corporibus.

Arist. lib. 2. de Ani. cap. 8. tex. 79.

XXXI.

Ad efficiendum autem Sonum tria potissimum requiruntur, corpus scilicet Percutiens, ut: malleus, Percussum, ut: campana, ac Medium ut: Aër, vel Aqua; quorum priora duo solida & dura, nec non lenia & concava esse oportet, ideo quòd haec mollia quidem corpora haud praestant, neq; ullum unquam edunt sonum, ut videre est, si quis spongians

Arist. Ibid. tex. 78. & 85

Ari. Ibid. tex 78.

giam spongiâ, lanam lanâ, pilos pilis percutiat.

XXXII.

Omnis autem Sonus à corporibus vel Inanimatis, vel Animatis excitatur, quorum ille propriè Sonus, hic verò *φωνή* vox appellatur.

Ari. libr. 4.
de hist. ani.
cap. 9. Et:
Lib. 2. de
ani. cap. 8.
text. 87.

XXXIII.

Uterq; autem est Simplex, aut Multiplicatus, sive Reflexus.

XXXIV.

Sonus Simplex est, qui rectà ad instrumentum Auditus tendit, nec unquam recurrit, & dividitur vel in Acutum, vel Gravem.

Arist. Ibid.
tex. 86.

XXXV.

Acutum vocamus, qui brevi tempore celeriter movet auditum, celeriter pungit, & quasi stimulat aures.

Arist. Ibid.

XXXVI.

Gravem dicimus, qui longiori temporis spatio segnius & remissius ad sensorium Auditus penetrat, tardeq; & graviter multâ interveniente morâ Auditum commovet.

Ibid.

XXXVII.

Multiplicatus Sonus est Echo, quæ est primi soni ingeminatio, sive, ut Plinius docet, reciprocatio, quæ in fine loquendi sonum ingeminat, & verba audita reportat, facta nimirum ex refractione Aëris, sonantis in locis tectis, cavernosis, levibus, tortuosis & concavis, ut in vallibus, & densioribus sylvis, antris, parietibus, muris, & id genus alijs locis.

Arist. li. citato cap. 8.
tex. 80.

XXXVIII.

Vox est Sonus, qui ab animali respirante certis quibusdam instrumentis per Aërem ex pulmonum spiratione ad laryngis cartilagine allisum, formatur, & ab ore in medium profertur. Estq; hæc vox aut significativa, aut non significativa.

Arist. lib. 2. de ani. c. 8. tex. 87. & 88.

XXXIX.

Significativa vox est vel Naturaliter talis, vel ad Placitum Artificio.

XL

Naturaliter talis est, quæ apud omnes idem significat, quæq; tantum audiri, sed non scribi potest, ut Gemitus indicat dolorem cordis: Ritus gaudium: cantus avium latitiam. Estq; vel Inarticulata, vel Articulata.

XLI.

Inarticulata est, quæ uniformi ferè finitur tono, ut crocitatatio corvorum, latratus canum, mugitus, rugitus &c.

XLII.

Articulata, quæ miro modulamine absolvitur, ut luscinia cantus &c.

XLIII.

Ad Placitum, quæ & audiri, & scribi potest, etiam est vel Inarticulata, vel Articulata.

XLIV.

Inarticulata est, quæ planè nullas certas res effert, ut est modulatio cantus.

XLV.

Articulata autem est, quæ certas quasdam res distinctis effert vocibus, quæq; in homine specialiter dicitur λεξις, seu sermo, vel oratio humana scilicet mentis, ac cogitationis concepta proferens, eademq; explicans, & declarans, unde etiam λόγος θεωρητικός, καὶ ἐν θεωρητικῷ ὄργανῳ appellatur.

Arist. li. 4,
de Hist. an.
cap. 9.

XLVI.

Non Significativa vox est morionum, ebriorum, ac puerorum, quia per illam planè nihil certi percipitur.

XLVII.

Ad Sensorium seu ORGANUM Auditus quod atinet, dicimus illud constare partibus Externis, & Internis.

XLVIII.

Externæ sunt binæ aures ab hauriendis vocibus sic dictæ, mul-

Etæ, multis anfractibus, & varijs ambitibus circumflexa, tum scilicet ne aer iste externus, qui sonum perferat, subito laberetur, & priusquam sensus ab hoc esset pulsus, erraret: tum etiam ne sonus, de improvisò & copiosè ingrediens, sensorium, adeoq; sensum ipsum laderet.

Lact. lib. de
Opificio
Dei. cap. 8.
Cic. li. 2. de
Nat. Deor.
Arist. lib.
1. de Histo.
Animal. ca.

XL IX.

Interna dividuntur in sensorium Continens, & Contentum. Continens Auditus sensorium Internum Anatomici vocant nervos auditorios, qui ex quintâ conjugatione expanduntur in aures. Contenta verò organa sunt tria potissimum. 1. Ossicula. 2. Pellicula. 3. Nervus.

L.

Ossicula illa mutuò sibi colligata, & articulata itidem sunt tria: I. Malleus. II. Jncus. III. Stapes.

L I.

Malleus vocatur ossiculum longum, quod proximum est foramini aurium externo, & à mallei formâ, quam representat, nomen suum accepisse creditur.

L II.

Jncus est ossiculum crassiusculum superiore sui parte, quod planam incudis refert partem, desinitq; instar molaris dentis in duos tenues & arctos processus.

L III.

Stapes deniq; est ossiculum cavum, & admodum perforatum, cuius figuram referre literam Græcam Δ dicunt Anatomici.

L IV.

Ultimum autem Auditus instrumentum Contentum Internum est nervus Auditorius geminus, spiritu animali plenus, & à quintâ nervorum conjugatione in sensoria, seu instrumenta Auditus implantatus, qui ad audiendum tam est necessarius, quàm ad videndum Opticus, quoniam per hunc colores, ac rerum imagines; per illum verò soni ad sensum communem, tanquam ludicem quendam, ac Censo-

rem, ubi perfectè de illis omnibus fieri solet iudicium, deferuntur. Hic nervus aliàs Græcis ἀκροστιγῆς appellatur.

L V.

MEDIUM Auditus duplex est; Externum, & Internum.

L V I.

Externum vocant corpus ἀκροστιγῆς, quod strepitus seu sonus nos ad Auditum provehit, Aërem scilicet & Aquam, maximè verò Aërem. In Aquâ enim rarius, quàm in Aëre fit Auditus. Idcirco Medium illud, puta Aquam, obscurius est, & nihil admodum ad Homines, sed ea animalia, quæ in aquâ degunt, pertinent. Vbi tamen notandum est, quòd Aër ille, quo gyri perferuntur ad aures, non planè simplex sit aër, sed certo quodam affectus modo.

Arist. lib. 2. de Ani. ca. 7. tex. 76. Et Lib. 2. de Ani. cap. 8. tex. 79. Item: Scallig. Exerc. 61. Sect. 4.

L V I I.

Internum dicunt συσφυσῆς ἀέρος, Aërem connaturalem, seu vernaculum, qui in Syringâ, vel tympano est inclusus, spirituq; auditivo mixtus, ut gyrationes illas accipiat, atq; feriat panniculos, ac malleolos.

Arist. lib. 2. de Ani. cap. 8. tex. 82. & 83.

L V I I I.

Fit itaq; Auditio, quando aër Externus, ex collisione duorum solidorum corporum excitatus, & qualitate soni affectus, adq; cavitatem aurium, in quibus est tympanum, per multos circulos, ac gyros translatus, ibiq; interno aëre mixtus, malleum impellit, ut incudem feriat: quâ percussione statim excitantur in nervis spiritus, quorum ope omnium sonorum imagines ad cerebrum deferuntur.

L I X.

Hæc de Visu & Auditu, sensibus scilicet Subtilissimis, & Nobilissimis: Sequitur jam de Sensu Medio, nimirum de Olfactu.

III.

III.

DE OLFACTU.

LX.

OLFACTUS est Sensus Exterior, qui in prioribus cerebri ventriculis odorabiles qualitates percipit. Vel: Olfactus, secundum Aristotelem, est Sensus Odorabilis, & bene olentia, & malè olentia naso percipiens.

Lib. 2. de
Ani. cap. 9.
tex. 99.

LXI.

OBIECTUM ejus est Odor, qualitas nimirum Olfactibilis, quæ ex sicco sapido, humido, non quidem Aqua, sed mediam inter Aquam & Aërem naturam referenti, permixto, oritur, & à calore educitur, qui calor duplex est, Interior scilicet, & Exterior.

Arist. li. de
sens. & sensil.
cap. 5.

LXII.

Interior calor, tanquam odoris est artifex, quia humidum cum sicco coquens, reddensq; temperatum, odoratum efficit. Impossibile enim est, rem odore quodam affici posse, nisi prius humidum cum sicco planè & plenè coquatur.

LXIII.

Exterior autem est Ignis, vel Solis calor, qui, dum laxat atq; extenuat odorata corpora, efficit, ut ista exhalent, atq; ita odor in vicinum sive aërem, sive aquam ambiens diffundatur.

LXIV.

Olorum igitur alij sunt Extremi, alij Intermedij. Extremi, ut Sordis Gratus, & Sordis Ingratus, sive Molestus. Intermedij verò olores sunt Gravis, Amarus, Stypticus, Acerbus &c.

Arist. lib. 2.
de ani. ca.
9. tex. 95. Et
lib. de Sen.
& Sensil.
cap. 5.

LXV.

ORGANVM vel Sensorium hujus sensus duplex est: Externum & Internum.

Exter-

Extèrnum est Nasus, & quidem cartilagosus, ut nimirum si quis malus fortè accedat odor, facile claudi, ejusq; ascensum statim prohibere possit, & econtra. Per nasum enim, tanquam per canalem quendam omnis odor, tam bonus, quàm malus in inferiores capitis partes meat.

LXVII.

Sensorium Olfactûs Internum sunt duo processus mammillares, vel duæ propagines, ab anterioribus cerebri vètriculis descendentes, ex ipsâ cerebri substâtiâ ad foramina in os sparsa, quod ἰδμοειδὲς vocatur, coli seu cribri speciem referens, vel potius πρυσοειδὲς, propterea quòd multa in eo foramina, quæ sunt tum aëris, tum odorum meatus, non aliter, quàm in spongiâ conspici soleant.

LXVIII.

Ar. lib. 2. de ani. cap. 7. rex. 76. Et: Lib. 2. de ani. cap. 9. tex. 97. Item: Lib. de Sens. & Sens. cap. 5. **MEDIUM**, per quod odor, à corporibus exhalans, spargitur, est Aër & Aqua. Pisces enim & multa alia animalia aquatica, hoc sensu prædita, per aquam non minus, quàm cetera volatilia, inq; terris degentia, per Aërem odores percipere certum est.

LXIX.

Et sic vapores odoriferi à re odoratâ exhalant, inq; iis odores realiter per Medium ad Organum seu Instrumentum Olfactûs deferuntur: non autem propterea odores sunt defluxus corporis, & substantia ipsa; sed odores in aëre substantiali & corporeo per vapores inesse omninò statuimus, ac pro virili defendere conabimur.

LXX.

Arist. lib. 2. de part. an. cap. 7. Et: Lib. 2. de ani. cap. 9. tex. 92. Et tantum quoq; de Olfactu, quem homines propter cerebrum copiosius, humidius, ac frigidius valde debilem ac longè imbecilliozem, quàm reliqua animalia habent, à quibus etiam ipsi non tantum in hoc, verum etiam reliquis sensibus vincuntur, secundum distichon illud:

Nos aper Auditus; lynx Uisu; simia Gustu;
Uultur Odoratu superant, & aranea Tactu.

Restant

Restant adhuc duo ultimi Sensus, Crassi scilicet, & Ignobiles, omnibusque communes, adeoque necessarii, ut sine illis Animal, quatenus est corpus animatum subsistere nequeat, de quibus etiam nunc agetur, & quidem primò de Gustu.

Ari. li. 2. de part. anim. cap. 8. Et: Li. 2. de an. cap. 10. tex. 104. Item lib. de Sens. & Sensili cap. 1.

IV.

DE GUSTU.

LXXI.

GUSTUS igitur est Sensus Exterior, qui in lingua, & palato percipit gustabiles qualitates, quae vulgò Sapores vocantur.

Ari. li. 2. de ani. cap. 10.

LXXII.

OBJECTUM ejus est Sapor, qui est qualitas quaedam partis siccae, per humorem à calore facta, qui duplex statuitur: Interior scilicet & Exterior.

Arist. ibid. tex. 103. Et: Lib. de Sens. & Sensili. cap. 4.

LXXIII.

Interior calor est idem, qui etiam rebus frigidissimis inest, earumque vitam conservat, qui aliàs Nativus appellari solet.

LXXIV.

Exterior autem est Solis, Aëris, atque Ignis.

LXXV.

Sicut autem Odorum quidam sunt Extremi, ut Gratus & Ingratus: quidam Intermedii, ut Acer, Dulcis, Acerbus &c. ita saporum quoque alii sunt Extremi, ut γλυκὺς Dulcis, & πικρὸς Amarus: Alii Intermedii, ut αἰλμυρὸς Salsus, δρυμὸς Acer, αἰσνηρὸς Austerus, σφυφνὸς Acerbus, ὀξύς Acidus.

Ari. li. 2. de ani. cap. 9. tex. 95. Ari. li. 2. de ani. cap. 10. tex. 105. Et: Li. de Sens. & Sensili. cap. 4.

LXXVI.

Aristoteli hujus sensus Objectum generatim dicitur γλυκὸν Gustabile, ejusque Privatio ἀγλυκὸν In gustabile.

Li. 2. de ani. cap. 10. tex. 103.

LXXVII.

ORGANUM vel Instrumentum Gustus est Os, seu Lingua insipida, per cujus cuspidem nervus ramulis hinc in-

Ari. li. 1. de Hist. anim. cap. 11. Et: de pro-

Li. 2. de an. de propagatur; vel potius est in linguâ pellicula expansa sub
cap. 10. tex. carne porosâ, seu spongiosâ, qua est in linguæ superficie.
104.

LXXVIII.

MEDIUM, quo fit Gustatus, est etiam duplex; Ex-
ternum, & Internum.

LXXIX.

Externum dicitur saliva, vel salivalis humiditas tem-
perata.

LXXX.

Sed Internum est caro fungosa, & musculosa, sive ner-
vus instar retis per linguam expansus: quo laeso aut tran-
sposito, omnia statim reddi solent insipida.

LXXXI.

Fit itaq; Gustatus hoc modo: Sapidum, quod est naturâ
suâ & actu humidum, de se facile reddit saporem, quem
linguæ statim communicat: Siccum verò prius vel pistillo
comminuitur, vel in ore dentibus conteritur, cumq; humi-
ditate linguæ mox permiscetur, nec non sapida qualitas, qua
in humore residet, abluitur, linguæq; nervosiori parti speci-
em sui inprimit. Et hæc quoq; de Gustu: restat adhuc alter

Ar. lib. 3. de ani. cap. 12. sine ipso planè nullum existere, aut conservari possit Animal,
tex. 63. et 64. Item Lib. 3. de ani. cap. 13. tex. 66.
67. & 68. sensus Crassus, & valde Ignobilis, adeò tamen necessarius, ut
neg; ullum alium contingat habere sensum, qui Tactus vo-
catur, de quo etiam nunc breviter agemus.

V.

DE TACTU.

LXXXII.

Ar. lib. 2. de ani. cap. 2. tex. 17. TACTUS, qui primò omnibus inest animalibus, est Sen-
sus Exterior, qui omnes corporum qualitates pelliculâ nerveâ,
carni per totum corpus intexa, percipit.

LXXXIII.

Ejus OBJECTUM sunt omnes qualitates Tactiles, tam
prima, quam secunda.

Prima.

LXXXIV.

Prime, quae reliquarum sensibilibus Qualitatum causa vocantur, sunt quatuor: Caliditas, Humiditas; Frigiditas, Siccitas.

Arist. lib. 2.
de Gen. &
Cor. cap. 2.
tex. 8. Et:
Lib. de an.
cap. 11. tex.
117.

LXXXV.

Secunda ex Primarum temperaturâ, & mixtione vel Immediatè, vel Mediatè profluunt.

LXXXVI.

Quae Immediatè à Primis deducuntur, sunt numero quatuordecim: Densitas, Raritas; Gravitas, Levitas; Durities, Mollities; Crassities, Subtilitas; Ariditas, Lubricitas; Lentor, Friabilitas; Asperitas, Levitas.

Arist. lib.
2. de Anima
ca. 2. tex. 10.

LXXXVII.

Quae verò Mediatè, sunt attractio ferri in Magnete: allevatio palarum in Succino: συμπαρῆσι & ἀντιπαρῆσι rerum multarum &c.

LXXXVIII.

Et quamvis plures unâ tactiles reperiantur qualitates: non tamen propterea sequitur, plures, ut multi volunt, esse sensus tactus; neque illa varietas plures facit Tactus species. Vnum igitur Tactum, & non plures esse, omnino statuimus.

LXXXIX.

Instrumentum seu ORGANVM Sensus hujus est cutis, vel omnes nervi, qui per singulas corporis partes diffusi, vim suam in cutem inserunt.

XC.

MEDIUM verò, per quod Tactus fit, est cutis nervea pellicula adherens, communiter cuticula dicta.

XCI.

Et sic tandem fit Tactus, quando nimirum Objectum, seu tactiles qualitates proximè ad tangendos nervos accedunt, sive organo suam comunicant.

XCII.

Atque hæc de Sensibus Exterioribus, tam Subtilibus, &

Nobilibus, quàm Crassis ac Ignobilibus, nec non mediis, quorum priores tres sunt Commoditatis, posteriores verò duo Neceſſitatis, qui omnia animalia, sine quibus illa vivere haud possunt, necessariò insequuntur, pro ingenioli nostri tenuitate dicta sufficiant.

*Arist. lib. de
Sens. & Sē-
fil. cap. 1.*



PROBLEMATATA

Coronidis loco apposita.

I.

GRAMMATICUM.

An vocabulum Logicæ rectè possit tribui illis artibus, Grammaticæ scilicet, Dialecticæ, & Rhetoricæ? Affir.

II.

DIALECTICVM.

An Dialectica sit potius Scientia, quàm ARS? Pr. Neg. Post. Affir.

III.

RHETORICVM.

An finis Rhetoricæ sit benedicere, nec ne? Prius Affir.

IV.

PHYSICA.

I.

An rerum Physicarum, seu Naturalium quædam sit Scientia? Affirm.

2.

An

An tantum quatuor sint Elementa, an verò infinita?
Prius Affir.

3.

An Plures sint sensus, Exteriores scilicet, quàm quinq?
Negatur.

4.

An Sensus bene se habentes, circa objecta propria errare
possint, nec ne? Negamus cum Aristotele lib. 2. de ani. cap.
6. tex. 63.

5

An Visio fiat κατ' ἐπιπομπῶν per radiorum ab oculo e-
missionem ad rem Visuam: An κατ' εἰσπομπῶν specierum
visibilium intra pupillam immisionem, & receptionem:
An verò utroq; modo κατὰ συναγωγὰν corradiationem, vel
partim Emissione, partim Receptione? Visum omnium sensum
præstantissimum fieri κατ' εἰσπομπῶν per solam Receptionē rei
aspectabilis in oculum, omninò statuimus, & pro virili de-
fendere conabimur.

6

An odores nutriendi habeant facultatem, nec ne? Ne-
gatur.

V.

ETHICUM.

Non omnes, sed tantum bonos viros, honore afficiendos
esse statuimus.

VI.

POLITICA.

1.

An bonus vir, sive Christianus bonâ conscientia pos-
sit uti ordinationibus, hoc est, Exercere judicia, contractus,
interesse bellis legitimis, accusare & defendere in foro, pæ-
nas exequi legitimas, & cum in Imperiis, Aulis, Regnis, Ju-
diciis multa reperiantur injuria, an etiam illa sint res bonæ,
& à DEO approbata? Affir.

C 3

An

2.

An aliqui ad capeffendum Magistratum cogi queant ? Bonos viros ad Magistratum , quamvis periculofum , gerendum , omninò cogi poffe , ac debere cum Aristotele lib . 2 . Politic . 9 . nec non Icto Vlpiano ftatuimus l . fi quis 9 . ff . de Muneri . & Honor .

VII.

OECONOMICA.

I.

Cùm matrimonia debeant effe libera , & non pendere ex alieno arbitrio , meritò quaritur , An in conjugio liberorum etiam confensus parentum , fub quorum potestate funt , requiratur ? Affirm . in prin . Inftit . de Nupt . l . in fpon . 7 . § in fponfalibus , ff . de Sponfal . l . Nuptia confiftere 2 . ff . de ritu Nupt .

2.

An filii fint in Matris potestate ? Cùm Mulier non fit fuæ potestatis , fed fub imperio Viri , Matrem non habere liberos fuos in potestate , fed tantùm Patrem , omninò ftatuimus , fecundum Regulam illam Iuris : In fuâ potestate non videtur habere , qui ipfe non eft fuæ potestatis , l . fic eveniet , ff . ad l . Iul . de Adult . Coercend .

3.

Si igitur liberi non fint in Matris potestate , haud immeritò quari potest , An etiam in conjugio liberorum , mortuo Patre , requiratur confensus Matris ? Affirm .

4.

An Parentes poffint , vel debeant liberos fuos invitos , & planè diffidentes in matrimonium , à quo ipfi abhorrent , detrudere ? Omninò negatur fecundum l 30 . ff . de Reg . Jur . & l . nec filium 12 . C . de . Nupt .

Μόνω τῷ σοφῷ Θεῷ Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ , καὶ ἀγίας Πνεύματι
ἐπιγινώσκω καὶ δοξάζω εἰς τοὺς αἰῶνας .

ORNA-

AD
ORNATISSIMUM IUVENEM
DN. IOHANNEM CRAMERVM SERVE-
STANVM ANHALTINVM, THESES DE QVINQ.
SENSIBVS EXTERIORIBVS, è Physico-
rum penu depromptas, publicè pro vi-
rili defendentem.

NIL esse libris in *PHYSICIS* loco
DE QVINQVE (ut ajunt) SENSIBVS *Extimis*
Perplexius, conatur ipse
SUMMVS ARISTOTELES probare.

Nil esse libris in PHYSICIS quoq;
Hac suaviori Materiâ quidem
Præclarius, nemo, nisi iste
Qui ratione caret, negabit.

Ergo ille magnam præ reliquis solet
Laudem mereri, magnaq; nomina
Referre, qui perplexa verbis
Perspicuis, breviterq; solvit.

Summos honores hic meritò quoq;
Capit, frequenter qui manibus suis
Volvit, revolvit scripta, quorum
Utilitas solet esse magna.

Hæc, JANE, scitè cum facias, tuum
De more facti dans specimen, neq;
Præclara spernas, magna Docti
Dant meritò tibi dona laudum.

CRAMERE pergas ergo: DEO Optimo
Juvante, faustè cuncta cadent tibi:
Et sortientur cæpta finem
Pectoris ex adytis petitum.

Præsidis.

F I N I S.



ORNAMENTUM
DN. IOHANNEM CRAMERUM
MAGISTRO

DE THEOLOGIA

PROFESSOREM

ORDINARIUM

UNIVERSITATIS

HALENSIS

PRESIDENTE

FINIS



Fc 1249.
gn


ULB Halle 3
003 422 747




Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

PHYSICÆ

EXTERIO- VS

AS
M. A.

ANATV
RISSIMIQUE VIRI,
SCI, MEDICINÆ
oris, ac Mathema-
is ordinarii;

DIO
Doctissimi viri,
I SCHRÖTERI, COS-
PHILO-MATHEM.

imâ Haidelbergensium A-
xercendi gratiâ,
inandas publicè proponit,
dere conabitur,

US SERVESTANUS,
TINUS.
Mensis Julii

n publico Philosophorum
erio.

cap. 1. in princ:
Δαιμόνιον ὄντως ζῆμα ἢ
δοξεν εἶναι.

ERGÆ,
BLINIANIS.

VO
& patientiæ.

am 13.

